Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones CXXIIII - Cod. Aug. perg. 47

Augustinus, Aurelius

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Sermo LXVII

urn:nbn:de:bsz:31-64194

Visual Library

mors. & per hominem resurrectio mortuorum; Sicut enim in adā
omnes moriuntur. ita & in xpo omnes uiuificantur; Per quid autem caput est
ecclesiae. nisi per hominem. quod uerbum caro factum est. id est di patris
unigenitus ds homo factus est. Quomodo est igitur in corpore xpi. qui
negat hominē xpm. qui enim caput negat. quomodo ē mēbrum.
~~de est membrum~~ sed quid multis in moreris. cum ipse dns abstulerit
omnes humanae argumentationis ambages. Non enim ait. Non canta
bit gallus donec hominem neges. aut sicut loqui familiari ore cum homi
nibus dignatione consueuit. Non cantabit gallus donec filium hominis
ter neges. sed ait. donec me ter neges; quid est me. nisi quod erat. & quid
nisi xps erat. quicquid ergo eius negauit. ipsum negauit. xpm negauit.
dnm dm suum negauit. quia & ille condiscipulus eius thomas quando
exclamauit. dns meus & ds meus. non uerbum sed carnem tetigit. Non in
corpoream di naturam sed hominis corpus curiosis manibus contrecta
uit; hominem itaque tetigit. & tamen dm cognouit. Si ergo quod iste teti
git. hoc petrus negauit. quod iste exclamauit. hoc petrus offendit. non
cantabit gallus donec ter me neges; Dicas licet. nescio hominem. Dicas
licet. homo nescio quid dicis. Dicas licet. non sum ex eius discipulis.
me negabis. si quod dubitare nefas est. xps hoc dixit. uerumque praedixit.
procul dubio petrus xpm negauit. Non accusemus xpm. cum defen
dimus petrum; peccatum agnoscat infirmitas. nam mendacium non
habet ueritas; agnouit quippe peccatum suum infirmitas petri. prorsus
agnouit. & quantum mali xpm negando commiserit. plorando mō
strauit; ipse suos redarguit defensores. & unde eos conuincat. produ
cit lacrimas testes; neque nos cum ista dicimus. primum apostolorum ac
cusare delectat. sed hunc intuendo admoneri nos oportet. ne homo quis
quam de humanis uiribus fidat; nam quid aliud pertinuit ad doctorem.
saluatoremque nostrum. nisi ut nobis nequaquam de se quemquam debe
re praesumere in ipso primo apostolorum demonstraret exemplo. In
anima itaque contigit petri. quod offerebat in corpore. non tamen pro
dno ut temere praesumebat praecessit sed aliter quam putabat. Namque
ante mortem & resurrectionem dni & mortuus est negando & reuixit
plorando. sed mortuus est. quia superbe ipse praesumsit. reuixit autem
quia benigne ille respexit.

INCIPIT SERMO LXVII DE EO QUOD DICIT. NON TURBETUR
COR UESTRUM. CREDITIS IN DM ET IN ME CREDITE. USQ. AD ID
QUO EGO UADO SCITIS ET UIAM SCITIS.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Erigenda est nobis fr̄s ad dm̄ maior intentio. ut uerba sc̄i euangelii
quomodo in nostris auribus sonuerunt, &iam mente capere utcumq;
possimus; Ait enim dn̄s; Non turb&ur cor uestrum; credite
in dm̄. & in me credite; Ne mortem tamquam homines timerent.
& ideo turbarent. consolatur. [illegible] creditis inquit in dm̄.
& in me credite; consequens est enim. ut si in dm̄ creditis. & in me credere
debeatis; quod non ess& consequens. si xp̄s non ess& ds̄; creditis in dm̄. & in
eum credite cui natura est non rapina esse aequalem dō; sem&ipsum
enim exinaniuit. non tamen formam dī amittens. sed formam serui acci
piens; mortem m&uitis huic formae serui. non turb&ur cor uestrum. sus
citabit illam forma dī; Sed quid est quod sequitur. in domo patris mei
mansiones multae sunt. nisi quia & sibi m&uebant. unde audire debuerunt.
non turb&ur cor uestrum. quis enim eorum non m&uer&. cum p&ro dic
tum ess& fidentiori atq; promtiori. non cantabit gallus donec me ter ne
ges. tamquam ergo essent ab illo perituri. merito turbabantur; sed cum
audiunt. in domo patris mei multae mansiones sunt. si quo minus dixisse
uobis. quia uado parare uobis locum. a perturbatione recreantur. certi ac
fidentes &iam post pericula temptationum se apud dm̄ cum xp̄o esse
mansuros. Quia & si alius est alio fortior. alius alio iustior. alius alio sapien
tior. alius alio sanctior. in domo patris mansiones multae sunt. nullus eorū
alienabitur ab illa domo. ubi mansionem pro suo quisq; accepturus est meri
to; Denarius quidem ille aequalis est omnibus. quem pater familias eis qui
operati sunt in uinea iub& dari omnibus. non in eo discernens qui minus &
qui amplius laborarunt; quo utiq; denario uita significatur aeterna. ubi
amplius alio nemo uiuit. qm̄ uiuendo non est diuersa in aeternitate
mansura. sed multae mansiones diuersas meritorum in una uita aeter
na significant dignitates; Alia enim gloria solis. alia gloria lunae. alia
gloria stellarum; stella enim ab stella differt in gloria. sic & resurrec
tio mortuorum; tamquam stellae sc̄i diuersas mansiones diuersae clarita
tis tamquam in caelo sortiuntur in regno. sed propter unum denarium
nullus separatur a regno. atq; ita ds̄ erit omnia in omnibus. ut qm̄ ds̄
caritas est. per caritatem fiat. ut quod habent singuli commune sit omni
bus; sic enim quisq; &iam ipse hab&. cum amat in altero quod ipse non hab&;
Non erit itaq; aliqua inuidia inparis claritatis. qm̄ regnabit in omnib;
unitas caritatis; Proinde respuendi sunt a corde xp̄iano qui putant
ideo dictum multas esse mansiones. quia extra regnum caelorum erit
aliquid ubi beate maneant innocentes qui sine baptismo ex hac uita

emigrarunt · quia sine illo in regnum caelorum intrare non poterunt. haec fides non est fides. quoniam non est uera & catholica fides; ita ne tandem stulti homines & carnalibus cogitationibus excaecati cum reprobandi exitis: Si mansionem non dico petri · pauli · uel cuiuslibet apostolorum · sed cuiuscumque paruuli baptizati a regno caelorum separatis: non uos putatis esse reprobandos qui domum dei patris inde separatis. Non enim ait dominus: in uniuerso mundo aut in uniuersa creatura · aut in uita uel beatitudine sempiterna mansiones multae sunt. sed in domo inquit patris mei mansiones multae sunt; Nonne ista est domus ubi aedificationem habemus ex deo. domum non manufactam aeternam in caelis: Nonne ista est domus de qua cantamus deo — Beati qui habitant in domo tua in saecula saeculorum laudabunt te. Ergo ne uos non domum cuiusque baptizati fratris sed domum ipsius dei patris cui omnes fratres dicimus: Pater noster qui es in caelis: a regno separare caelorum aut eam sic diuidere audebitis. ut aliquae mansiones eius sint in regno caelorum. aliquae autem extra regnum caelorum. Absit · absit · ut qui uolunt habitare in regno caelorum. in hac stultitia uelint habitare uobiscum; Absit inquam · ut cum omnis domus regnantium filiorum non sit alibi nisi in regno ipsius regiae domus. pars aliqua non sit in regno; Et si abiero inquit & praeparauero uobis locum. iterum uenio & accipiam uos ad me ipsum. ut ubi ego sum & uos sitis. Et quo uado scitis & uiam scitis; O domine ihesu · quomodo uadis parare locum: si iam multae mansiones sunt in domo patris tui · ubi tecum habitabunt tui: Aut si accipis eos ad te ipsum · quomodo iterum uenis qui non recedis: Ista carissimi si breuiter explicare conemur quantum uidetur hodierno satis esse sermoni · coartata utique non clarebunt: Et erit ipsa breuitas altera obscuritas; proinde hoc debitum differamus. quod oportunius uobis patrefamilias nostro largiente reddamus.

INCIPIT SERMO LXVIII DE EADEM LECTIONE.

Deberi uobis fratres carissimi iamque esse reddendum quod distuleramus agnoscimus: quomodo intellegi possint non esse inter se duo ista contraria. quod cum dixisset dominus — In domo patris mei mansiones multae sunt: si quo minus dixissem uobis · quia uado parare uobis locum: ubi satis ostendit ideo se illis hoc dixisse. quia iam ibi sunt mansiones multae & non est opus aliquam praeparare: Rursus dicit — Et si abiero praeparare uobis locum. iterum ueniam & accipiam uos ad me ipsum. ut ubi ego sum & uos sitis; quomodo uadit & parat locum. si iam multae mansiones sunt. si quo minus dixisset · uado parare: Aut si adhuc parandus